

Eilhard Lubin Daniel Nicolai

**Disputationum De Veritate Religionis Christianae, Ex P. Mornaei, De Eadem Libro  
: Vigesima prima, Quod Tempus Adventus Messiae Praeterierit Et Quod Is iam  
Venerit Tempore A Scripturis Constituto, Jesus Mariae Filius**

Rostochii: Reusnerus, 1602

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756649951>

Druck Freier  Zugang



R. U. theol.  
Lubinus, Eilh.  
d'isp. de veritate relig.  
christianae 1-24.  
1602:03.  
1601-1602

Contenta:

- ① Frid. Cressius, De veritate religionis christianae I 1601
- ② Das. Rezzius, De ver. rel. chr. II 1601
- ③ Hart. Kallerwordian, De ver. rel. chr. III 1601
- ④ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. IV 1601
- ⑤ Abr. Drentrot, De ver. rel. chr. V 1601
- ⑥ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. VI 1601
- ⑦ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. VII 1601
- ⑧ Boc. Hagius, De ver. rel. chr. VIII 1601
- ⑨ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. IX 1601
- ⑩ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. X 1602
- ⑪ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XI 1602
- ⑫ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XII 1602
- ⑬ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XIII 1602
- ⑭ Frid. Cressius, De ver. rel. chr. XIV 1602
- ⑮ Das. Rezzius, De ver. rel. chr. XV 1602
- ⑯ Hart. Kallerwordian, De ver. rel. chr. XVI 1602
- ⑰ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. XVII 1602
- ⑱ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XVIII 1602
- ⑲ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. XIX 1602
- ⑳ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. XX 1602
- ㉑ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. XXI 1602
- ㉒ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. XXII 1602
- ㉓ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XXIII 1602
- ㉔ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XXIV 1602

Disputationum  
DE VERITATE  
RELIGIONIS

CHRISTIANÆ,  
EX P. MORNÆI, DE  
EADEM LIBRO,

Vigefimaprima,  
QVOD TEMPVS AD  
VENTVS MESSIÆ PRÆTERIERIT  
ET QVOD IS IAM VENERIT TEMPORE  
A SCRIPTVRIS CONSTITVTO,  
IESVS MARIÆ FILIVS.

*Quam*  
DEO DVCE ET AVSPICE  
P R A E S I D E  
EILHARDO LVBINO,

*In alma Rosarum Academia defen-  
dere conabitur*

DANIEL NICOLAI Replerus  
Suecus.

*Hora & loco consueto.*

ROSTOCHII  
Exprimebat Christophorus Reufnerus,  
ANNO M. D. C. II.

5

DIPLOMATUM  
DE VERITATE  
RELIGIONIS  
CHRISTIANAE  
EX P. M. O. R. N. A. L. D. A.  
E. A. D. M. M. C. C. C. C. C.

VIGILANTIA  
QVOD TEMPVS AD  
VENTVS MESSIE PRÆTERITVS  
ET QVOD IS IAM VENERIT TEMPORIS  
A. S. C. R. I. P. T. I. S. C. O. N. S. T. I. T. U. T. U. R.  
I. E. S. V. S. M. A. R. T. I. N. I. S.

Quam  
Dno. Dyce et Archiep.  
FRANCISCO  
LUDWIGO LUTINO.  
DANIEL NICOLAI REGIUM  
ROSTOCHII  
Explicet Christianus Rostochus  
M. D. C. C. C. C. C.

QVOD TEMPVS ADVENTVS  
MESSIÆ PRÆTERIERIT ET QVOD IS IAM  
venerit tempore à scripturis constitu-  
to Iesus Mariæ filius.

## I.



Onstat ergo Mediatorem Deum-hominem Mundi salvatorem venire debuisse; deinceps demonstrandum tum ex Scripturis, tum ex Iudæorum traditionibus, ipsum jam venisse, nunc ulterius, ut Iudæi volunt, expectandum esse.

2. Principio Prophetiam Iacobi; Non recedet Sceptrum de Iudâ &c. de Messia intelligunt Cabalistsæ, & Thalmudistsæ plurimi. De Saul intelligi non posse, ut recentiores quidam Iudæi volunt, multo minus de Ieroboa, res & textus ipse loquitur, longissime adhuc minus de Nabuchodonozore; sub quo principes exulum ex Iudâ electi in Israele semper regnabant, & Sanhedrin 70. Iudices sub his principibus & Machabæis semper perdurabant.

3. At, cum ultimi Maccabæorum Aristobulus & Hircanus semetipsos confecissent, Herodes peregrinus Idumæus regnum Israel occupat, Hircanum cum uxore & liberis & filia quam uxorem duxerat, & potiores ex Iudâ & Sanhedrin trucidat, exteros in eorum locum surrogat, sceptrum & iudicium à Iuda aufert (quod in hodiernum usque diem ablatum adhuc à Iudæis, qui jam turbatis genealogijs incertis tribubus, nec minimam in ullo mundi angulo jurisdictionem habent) quo tempore ob id Messias ab omnibus expectabatur, ut in Thalmud & multis Rabinis videre est.

4. Deinde constabat Messiam durante secundo templo venturum, cuius, licet ædificio igne cœlesti, gloria DEI inter Cherubin, S. Sancti inspiratione super prophetas præsentia arcæ, multisque alijs primo templo imparis, major gloria, quam prioris, promissa fuit, nempe expectatio gentium Messias. Quod

rub Herode contigit, quo tempore regnum, & Gloria quæ supererat Spiritus magnæ Synagogæ defecit, Deus ipse Israellem fastidiit, & postea templum cum urbe funditus dirutum, nec postea licet faventibus Iuliano & aliis imperatoribus potuit reædificari.

5. Quod autem ante destructionem venire debuerit Esaias cap. ultimo, & Rabbinus ejus loci interpretes testantur, & Apologus ille in R. Bereschit de Arabe jubente boves solvi, quod Messias advenerit, & ruina templi immineat.

6. Daniel prophetavit in cap. 7. de Messia, ut Rabini testantur, quia loquitur de uncto Spirituali, cum externa unctio in secundo templo defuisset. Septem Hebdomadibus annorum, hoc de 49. annis urbem & templum reædificandum esse, Inde ad Christum 62. Hebdomadas, id est 434. Ut sit Summa 483. annorum ab eo die, quo verbum de restaurando templo, & urbe à Jeremiâ pronunciatum fuit, ad Christum, qui anni computati, exactè incidunt in Herodem & Tiberium, licet supputationis initium variè à variis instituat. Quo vaticinio cum Iudæi, manifestè convincantur, eò insanix procedunt, ut Daniele, cætera verum, hic in calculo errasse dicant.

6. Traditiones Iudæorum idem testantur. In Thalmud illam ex Eliæ Schola, R. Jacob, bis mille annos vacui circa Abraham, bis mille legis sub finem secundi templi effluxisse explicat, ceterum ob peccata hominum Messiam non venire, (quæ tamen Dei misericordiam inhibere nequeunt) cujus tempus adventus suo tempore 714. annos præterierit.

8. Esaiæ 9. Puer nobis natus est &c. quia M. clausum hic in medio vocis legitur, Rabbinus de magno Christi mysterio explicat, & cum M. Sexcenta valeat apud Hebræos, ab hac prophetia ad Christum tot annos numerant, & itidem in Herodis ætatem incidunt.

9. In Thalmud promittitur Christus circa annum mundi 4250. R. Mose vero anno mundi 4474. Moses Gerundensis anno mundi 5118. quæ tempora cum jamdudum præterierint, tædio languidi Iudæi tandem tempus Messie definiendum negant, pœnitentiâ tantum opus esse affirmant.

10. Tradidère etiam sub Messia adventum raros Sapientes, plures

plures incantatores impostores, magos, sæculum sceleratissimum fore; quod tum temporis contigisse ex Evangelio constat, & ex Iosepho, qui Sodomã & Gomorra sceleratiorem Ierusalem fuisse narrat, teste Tacito, Suetonio, Iosepho: quo tempore fama toto orbe percrebuit, Dominum orbis ex Iudæâ proditurum, quo Iudæi toti erant in expectando Messîâ: quo quotannis Pseudo Messiz oriebantur, quo Herodes nec proprio filio parcit, ut adventum Messiz intercludat.

11. Quo quidam Herodem Messiam esse mentiebantur, quo Iudas Gaulonites, & alius Iudas Filius Ezechiz latronum ductor, ut & pastor alius Athronges, & rege Agrippa Ægyptius quidam, & præside Cuspio Theudas seditione excitatâ Messiam mentiebantur. Quo Barcosba se, faventibus Rabinis, Messiam venditans, cû triginta annis cû dimidio imperasset, trucidatus est.

12. Alius ejusdem nominis 30. annis post eversam Ierusalem undique coactis 200000 Iudæis Messiam simulavit, quem Rabinî receperunt eumque stellam ex Iacob, ut est in Numeris, vocarunt. Quæ & Iudæorum & Ethnicorum historia testantur.

13. Adde quod nullum ab eo tempore Prophetam habuerint, & prophetiz omnes in Herodis atatem incidant, unde & populum primo in Ioannem, dein in Iesum concitatum legimus.

14. Recentiores Iudæi hanc veritatem eludere volentes, eodie quo secundum templum corruit Messiam natum dicunt, sed abscondi & latitare in magno mari 400. Inde apud filios Chore 800. postea ad valvas Romæ 80 annos; apud Papam honoribus auctum iri, eiq; tandem Mosis illud dicturum; Dimitte populum, ut mihi serviat. Qua anilis affaniæ & nugæ sunt cum Deus se illum in tempore suo acceleraturum pronunciet, & pœnitentiam nostram sua gratiâ necessario antevertat.

15. Denique in Thalmud in Dialogo cum R. Iosue R. Eliezer convincitur peccata Israel non obitare, quo minus veniret Messias, Et peccatum quod proferunt, adorationem vituli in deserto, venditionem Iosephi &c. Dei voluntatem non impedire potuit. Quod si ignotum est peccatum, frustra agunt pœnitentiam. Vnde Christum venisse patet.

16. Restat demonstrandum, quod Iesus Mariæ filius qui tempore



pore à scripturis præstituto venit, Verus sit Messias, in quem Prophetiæ fuerunt impletæ.

17. Natus est ex virgine, ut quem suum filiû Iosephus negabat; Si a. mater adulterii rea, cur eam & maritus non deserit, & iudex morte mulctat? Nempe quem Theodosius Iudæus in Sacerdotum album relatum refert his verbis; Jesus filius Dei vivi & virginis Mariæ. Vnde ipsum in templo legisse & docuisse legimus. Rabbi Hecadosch eum ex virgine nasciturum prædicit, cujus nomen Maria arte Cabalifica elicit.

18. Natum Iesum Nazaræum in Bethlehem ex Maria filia Iojahim ex stirpe Zorobabel tribus Iudæ testatur R. Hacanas, Nehumia, & Vla. Quo nomine & Simon Magus se virginis filium venditabat. Simeon Iustus Iesum in ulnas accepit, quem in Israël præstantissimum fuisse Iudæi ipsi fatentur, eoq; mortuo Deum à sanctuario & Synagogâ abhorruisse, quod multis prodigiis patet.

19. Iesum, quod populum salvum facturum sit adpellandum, & Deum hominem fore R. Hecadosch prædixit, ejusq; nomen (Iesus) arte Cabalæ elicit, quod & quarto libro Esdræ disertè legitur.

20. Præcursor ipsi promittebatur à Malachiâ, quem Eliam scribæ vocabant, qui fuit Iohannes Magnus Rabbi in Iudæorû Chronico dictus; quem Iosephus, quod ob pietatis & justitiæ ardorem magni à populo fieri, ab Herode defectionem metuente incarceratum, & decollatum testatur; qui licet in populo maximus, Christo cessit & gloriam tribuit.

21. Regnum porro Messiæ spirituale animorum, cujus Vetus testamentum typus, ut à Prophetis prædictum fuit, cui in mundo ærumnæ & calamitates propositæ fuerint, tota de Christo historia testatur.

22. Messias etiam Deus & homo in Veteri Test. promittitur, qualis in novo exhibetur, ubi humanæ conditionis particeps divina opera & miracula præstat, ob quæ ipsum tot discipuli, tot & tanti populi sequuntur, & quæ R. Iohannam & R. Iose in Thalmud, & ipse Historicus Iudaicus Iosephus non diffidentur.

23. Neque Magiæ illa tribui poterunt, cum illa contra Diabolum instituantur, & ob cujus Magiæ vanitates præstigijs nemo discipulorum morte contemptâ ipsum fuisset secutus; quam nemo publicè profitetur.

Lon-

24. Longè minus virtuti divini nominis lapidi in templo à Salomone inculpti, quod Iesus exscripserit, cujusq; virtute tot miracula ediderit: quæ fabella adeo putida refutari non meretur. Cur enim Salomon similia non præstitit? Et quo ipso saltem divina virtute miracula illa edita fatentur, quæ cum Barcosba & reliqui Pseudomeffiæ non possent, impostores deprehensi sunt, cum quibus miraculis Messiam venturum fuisse Rabbinii & Thalmud docebant.

25. Idem etiam Prophetiæ Christi ad amussim adimpletæ testantur, ante omnia verò doctrina, quâ Dei & proximi amor gloria Dei, & officium in proximum, hoc est omnem hominem, unice ubiq; inculcatur, idq; non ut Pharisei in superficie, sed in corde hominis, quam doctrinam vitâ suâ exprimit.

26. Neq; verò à Diabolo hæc esse possunt, quibus regnū ejus funditus evertitur, sed sunt à Deo, quod ne Turcæ quidem inficiantur.

27. Cum Iudæi humilitate ejus offenduntur, non recordantur prophetiæ, & suorum Rabinorum, qui illum ita depingunt; & ignorant primum Superbiæ peccatum humilitate Messiæ tollendum fuisse, & ex ipsius pœnæ magnitudine, & mortis ignominia nostri peccati enormitatem esse metiendam.

28. Magis adhuc errant, cum passione ejus offenduntur, cum hæc sacrificijs veteris fœderis adumbrata sit, ab Esaia tam graphicè ad amussim depicta & prædicta sit. Quem dum Rabbinii explicant, Messiam extremis cruciatibus, lepra & ulceribus affectum iri fatentur.

29. Frustra a. R. Selomoh & Kimhi locum hunc Esaia de populo Iudaico adflicto explicant, cum singula verba singulos absurditates denotent. Qui enim populus Israel pertulit dolores Israel? & qui populi Israël livor nostra est sanitas? Et quis dicat populum Iudaicum iniquitatem non fecisse, dolumq; in ejus ore non esse inventum. Cum populus, qui curatur, & qui pro curatione populi patitur ibi inter se opponantur.

30. Non jam memoro Danielem prædicentem Christum pro peccatis moriturum, Davidem vaticinantem manus & pedes ejus perforatum iri (frustra n. locum hunc depravant contra mentem 70. Interpretum) & Zachariam prophetantem Messiam Spiritum suum super suos effusurum, & illum conspecturos illos, qui eum confixerunt.

31. Quid? quod Rabbinii Cabalisticæ & Thalmudisticæ Messiam, arumnas, & dolores perpeffurum & morte suâ animas ab inferno liberaturum peccatum in ligno expiaturum, à Iudæis occisum iri non diffi-

teantur & Philo Iudæus per Christi summi sacerdotis mortem] exules restitutum iri testatur, qui non homo, sed λόγος Dei sit futurus.

32. Quod recentiores etiam duos Christos, fingunt, est contra scripturam, quæ unum Davidis filium agnoscit, cujus duplex adventus. unus in humilitate, ut in Zacharia, alter in Majestate ut in Daniele videre est, ubi scandalum in gloriam transmutatur, cum corruptionem non viturus, post biduum resurrecturus, ad dexteram Dei sessurus dicitur. Quæ de Messia explicant Rabbini, & quæ in Christo completa esse scimus, utpote quam testatur Iosephus à Iudæis occisum tertia die suis apparuisse, ut de eo Prophetæ prædixerant.

33. Vanissimum autem illud Iudæorum, discipulos Christum è sepulcro suffuratos esse mentientium, quod tot excubitores additi, & Pilatus epistolâ ad Claudium Cæsarem falsum esse arguit. Ut jam non dicam discipulos pusillanimes illud non ausos fuisse, nec ob mortuum vitam suam & omnia contemnere voluisse.

34. Porro quod Daniel de Christo excidendo, (quod expectari postea non debeat) de urbe à Romanis evertenda & abominatione futura vaticinatur; post mortem Christi impleta esse, notius est, quam ut negari possit, Cum Iudæi toti mundi ludibrium & probrum facti, suam sententiam experti sunt: Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Et cujus urbis exitium, in quo 1 000 000, hominum ceciderunt demiratus Titus Deo acceptum retulit.

35. Quid? quod Rabini saniores fatentur secundum templum eversum fuisse ob venditionem justi, & propter odium sine causa.


36. Vanissimum etiam quod se adfligi dicunt Iudæi, quod nonnulli Iudæorum eo tempore Iesum receperint; Cum reliquorum omnium pietatem Pseudomessiam inierficientium impietati paucorum procul dubio prætulisset Deus.

37. Denique strage Hierusalem templum Iesu fundatur, gentium Idolomanie evertuntur, dimidia illâ Hebdomade vel tribus cum dimidio annis quibus Christus docuit, ut Hadarsan, & Midrasch Danielis verba explicant.

38. Est ergo Christus Dei filius ex virgine natus, tempore à Daniele prædicto, in Bethlehem Iuda, quem præcursor præcessit, mortuus ob hominum peccata, & à mortuis excitatus, excidio urbis & templi subsequente, Salvator noster, cui æterna laus & gloria, AMEN.







ortis fuisse, non, ne crimen detegant, sed ne vir-  
ant, ne ipsi quidem hostes Christianorum nē-

tionem illam repentinam, quā Deorum cultus  
nt, ad constellationem referunt, quā mundum  
z pro diversis cæli imaginibus singulos Plane-  
ominari supponunt, quæ vesanorum hominum  
Syro satis refutata sit, seq; ipsam explodat re-

climatibus tot regiones, urbes, oppida, familiæ,  
imis sæpe religionibus inbuti, quā insaniam suam  
Cumq; Planeta climatis religionis Judaicæ  
ligio in totum orbem disseminata est, proprio

as Planetarum conjunctiones Religiones facere  
i conjunctiones tantum, alij Iovem tantum, alij Io-  
♄ Chaldaicam, cum ☉ Aegyptiam, cum ♀ Mahu-  
a, cum ☾ Antichristianam, Addunt a. magnas medias  
interq; se de religionis domo variè contendunt (quæ  
ex fo) prius inter se insulsi & insani conveniant, an-  
postulent.

es à conjunctione Stellarum dependent, cur cum illis  
io Christiana tantæ sit durationis, tamq; latè pateat,  
nativitatis tempore talem conjunctionem. quod nex  
Astrologorum somnio sex esse possint Religiones  
m in una familiâ.

nde Religionis Thema erigere debeant à fine eius  
ius, quæ oritur aut deniq; legislatoris ipsius Iesu ge-  
ptias suas Christianis intolerabiles satis impie pio-

s hominis Genesi Religio, hoc est tot naturæ, regio-  
j, Dæmones, affectus animi & mentis, cum vel ipso  
on cogant, cum etiam in singulis regionibus aliquis  
t.

contemplationum vanitatem eventus ipse manife-  
stianam 360. annos duraturam dixerunt, quam Al-  
extendebat, Abraham Iudæus ad 1464, &, suo more

isti per Magiam facta esse contendunt exemplo Si-  
nyanæi, Appulei Madaurenfis. Cum Simon vel eo-  
is sit, Iesu divinitati concesserit. Et cuius Diabolica  
rejecta & cum ipso extincta est.

Apol-